



# **Specimen medicum inaugurale, sistens quaedam de ulcere perforante ventriculi**

<https://hdl.handle.net/1874/319678>

3

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE  
SISTENS  
**QUAEDAM DE ULCERE PERFORANTE VENTRICULI.**

PRAEGREDIUNTUR  
DUO CASUS IN NOSOCOMIO AMSTEL-  
DAMENSI OBSERVATI,

QUOD,  
FAVENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

**CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,**  
JUR. UTR. DOCT. PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF.

NEC NON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET  
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

**IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,**  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT  
**JOANNES BENJAMINUS ROLL,**

ROTTERODAMENSIS;

DIE 28 M. MAJI ANNI 1851, HORA II.

IN AUDITORIO MAJORI.



AMSTELAEDAMI,

TYPIS MANDAVERUNT

LOMAN & REUDLER,

CICJOCCLI.

SHOULD BE OPEN WITH GREAT  
CAUTION DE VIGILANT PAROISSIENS-VENTRIQUE

DUO CASUS IN MOSCOWIA ABSTIN  
TAMENSI ORSTEV ALI

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

CONSEIL GUILLELMO GILBERTO

PATRI OPTIMO CARISSIMO.

The first part of the book is devoted to a general history of the world, from the beginning of time to the present day. The author discusses the various races of men, their customs, and their progress in civilization. He also touches upon the history of the different empires and kingdoms that have existed on the earth.

The second part of the book is a history of the Christian religion, from its origin in the person of Jesus Christ to the present day. The author describes the life and teachings of Christ, the spread of the Gospel, and the establishment of the Christian Church. He also discusses the various heresies and schisms that have arisen in the history of the Church, and the different forms of government that have been adopted by the various Christian denominations.

The third part of the book is a history of the various nations and kingdoms of the world, from the earliest times to the present day. The author discusses the rise and fall of the different empires, and the progress of the various nations in civilization and industry. He also touches upon the different forms of government that have been adopted by the various nations, and the different systems of law and justice that have been established.

The fourth part of the book is a history of the various sciences and arts, from the earliest times to the present day. The author discusses the progress of the different sciences, and the discovery of the various laws of nature. He also touches upon the progress of the different arts, and the invention of the various machines and instruments that have been used by man.

The fifth part of the book is a history of the various customs and manners of the different nations, from the earliest times to the present day. The author discusses the different customs and manners of the various nations, and the progress of the different nations in civilization and industry. He also touches upon the different forms of government that have been adopted by the various nations, and the different systems of law and justice that have been established.

*De hoc specimine medico-inaugurali nonnulla praefari ob eam solam rationem, quod in morem venierit, misera foret causa; praesertim ubi aliae exstant innumerae, quae suadent ut, missâ omni praefatione strictiore sensu, statim cordi meo grato hîc morem geram, ut nil aliud nisi gratum illud cor significem multis illis viris, quorum egregiam benevolentiam ita sum expertus, ut ultra esse prorsus nihil poterit.*

*Ad quos me convertans, primo loco mea grata memoria Te conspicit, Clar. TILANUS. Quot et quanta debeo Tibi! Te olim suadente, consilium meum adeundi Medicorum scholas vovendique brevem vitam illorum longae arti, altiores egit radices, firmiores, laetiores. Audiendo Te ad maturitatem tum perducebantur. Ipse enim quî potuissem tunc temporis enumerare omnes molestias, quae occurrerent fortasse in nova palaestra, quî omnes debito collocare*



loco, nullas praeponderans, quae parvi, nullas contra vili pendens, quae forent summi pretii existimandae. De hisce omnibus Te consului, et quod tu faceres iudicium, meum foret. Ut pergerem tum monuisti, ut pergere possem viam tum ita stravisti, ut omni tempore, omni occasione mihi patuerit quivis locus, quo medicinae studiosis cum doctrinarum tum experimentorum dissilit uberrimus fons. Pro tot, pro tantis accipe, precor, hasce gratiarum actiones. Verba sunt; scio. Utinam vero sequior aetas doceat, verbis non amplius opus esse ob multa testimonia mei grati erga te animi!

Nec VOS, Professores in Facultate Philosophicâ, qui cum naturae tum hominis sani scientias me docuistis, quorum semper reminiscar maxime gratus, hoc publicum documentum mei animi erga VOS omnes repudiabit, qui tamquam amici omni auxilio sublevavistis me, cum novam palaestram ingrederer novitius. Quod quanti sit, quis est qui neciat? Et hoc quoque respectu de vobis valuit notissimum illud: semper iidem. Nam quoties VOS adierim hoc illud rogandi gratiâ, toties expertus sum vertram benevolentiam, spe meâ delusus numquam discessi. Quot Professores in nobilissimâ vestrâ Facultate, quorum lectionibus fruebar, tot numeravi fautores amicos; quare, credite mihi, annus, per quam vobis sum usus magistris, gratæ meae memoriae insculptus est aureis litteris, nulla sequiori aetate delendis!

Quem magno honore habeo, Clar. SURINGAR, Tibi quoque publice dico gratias. Docendo pariter et prae-  
eundo, magister vicissim egregius et optimum exem-  
plar, verbo et re amicum veri nominis Te semper  
mihi praebuisti. Gratus memini, quâ nec tempus ne-  
que labor ullo die Tibi videbantur frustra consumptum  
frustrave impensum cum lumen incenderes, quod viam  
collustraret mihi adhuc obscuram, cum me doceres  
animadvertere, pervestigare, summi pendere, quae  
medico vere practico animadvertenda, pervestiganda  
atque summi pendenda sunt! Quodsi in posterum  
laetus eventus mea conamina sit condecoraturus, laeti  
illius eventus Te semper habebō auctorem primum!  
Non erit ingratus, qui tanta Tibi debet, non publi-  
cum testimonium unica actio gratiarum!

Jam vero quibus verbis Te compellare, summo animi  
dolore depresso VAN GEUNS, Te, cui tot debes, ut  
verba certe desint! Non video exordium aptum; ap-  
tum finem quaero frustra. Te praeunte in studiis  
meis illam sequutus sum viam summo ardore,  
summâ veritatis convictione, quippe quam solam ve-  
ram agnoscerem pro mea peritiâ in pathologiae stu-  
dio, quamque igitur — sit venia verbo audaci! —  
semper maximo habebō honore, quaque semper im-  
pense gaudebo. Hujus convictionis, quae alit laetis-  
simam spem in veritatis indagazione, unicum auc-  
torem Te agnosco, eximie vir! Non enim te so-  
lummodo admiratus sum publice docentem, sed tantâ



optimi magistri familiaritate sum usus, ut prae multitudine numerum vix teneo dulcium illarum vesperarum, quum pathologiam universalem delineares, mecum duobus selectis commilitonibus mirante auditore; quo modo gratissimo, maxime frugifero, acutissimo describat alius, ego non possum. Roget rudis, quaestiones proponat imperitus, explicationem ter quaterque quaerat novitius, quorum enim oculi non sustinent tantam doctrinae lucis copiam, dum firma acies tuae mentis omnia videt maxime conspicua; — rogant, quaerunt, dubia proponunt semper Te benigne annuente. Deflectimus a rectâ viâ; sistere gradum statim monet amica Tua vox; arrigimus aures; o dulcis pariter atque docta institutio, cum nobis, dilucidius indiem, explicas, quales adsunt in corpore vivo relationes, processibus inservientes aequè multis ac variis, et rursus eo respectu sibi similes, quatenus scilicet easdem omnes sequuntur leges, et tamen invicem ita discrepantes formâ atque effectibus, ut unusquisque facili negotio percipiat illud discrimen, quod lingua exprimere voluit variis nominibus, Sanitatis videlicet et Morbi.

Non multa post, quum cura versionis „Pathologiae Universalis” celeberrimi LOTZE mihi demandata esset, Tu praecipue mihi suasisti, ut illud opus susciperem. Sine egregio Tuo auxilio tamen — lubenter confiteor — numquam esset ad finem perductum. Jam vero liber partim prodiit in lucem; et optimis quidem auspiciis: praefatus est enim VAN GEUNS.

*Habeo plura adhuc, quae silentio premere ingrati esset.*

*Me adiutorem elexisti in nosocomio, quo nomine tecum steti ad illos aegrotantium lectulos, qui demandabantur sui solius curae. Ibi autem, quasi sub oculis Tuis, in praxi docui summum pretium omnium systematum idearumque, quae institutio Tua theoretica aequae vera ac universalis mihi ante probavit. Quodsi in praxi quid valeam, huic Tuae benevolentiae id debeo, immo huic benevolentiae soli.*


*Utinam fatum voluisset Tibi erigere templum felicitatio domesticae pro tantis meritis. Sed eheu! quam fuit tibi iniquum! Domesticae felicitatis sors atra ne umbram quidem reliquit. Divulsam ploras conjugem. Plorant tecum permulti. Nam carissima Tibi, venerata omnibus fuit conjux, quotquot eam norint.*

*Sentio, honoratissime vir, me prorsus deserere verba, dum reputo tristitiam tuam summam, dum cladem reputo tantam. Cor prae dolore divulsum respuit vel selectissima verba, ni pectus ea fecerit diserta. Scis, Clar. VAN GEUNS, ex corde intimo proveniunt haec omnia: utinam aliquid saltem solatii afferrent!*

*Haec sat sunt dicta. Id unum addere licebit: admiratione et grato animi sensu Tibi me scio divinctum ad ultimam usque horam!*

*Superest, ut et Tibi dicam gratias, nobilissima*

*Facultas Medica in Academiâ Rheno-Trajectinâ, Tibi  
praeprimis, Clar. VAN GOUDOEVER, aestumatissime  
Promotor. Nemo me magis sentit, qui multa et magna  
debeo vestrae benevolentiae. Sinite, me gratiarum  
actioni sinceræ nubere hanc ultimam supplicationem:  
faveatis mihi etiam in posterum eâdem benevolentia,  
quàm hucusque sum expertus. Ne prorsus mei oblivis-  
camini! Ego vestrorum numquam!*





DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

SISTENS

QUAEDAM DE ULCERE PERFORANTE VENTRICULI.

PRAEGREDIUNTUR

DUO CASUS IN NOSOCOMIO AMSTELODAMENSI OBSERVATI.

PARS PRIMA.

*Historiae morbi.*

Maria S., annos nata LVI, in nosocomium recepta est die XIII<sup>o</sup> Nov. MDCCCL. Structura corporis robusta videtur; niger est capillorum color, vultus contra pallidus, oculi coerulei; maxime emaciata est, et faciei dolorificae expressio observatur. Per triginta fere annos ancilla erat coquinaria.

Rogata narrat, se inde a primo tempore, quò notato fungebatur officio, maxime doloribus in ventriculi regione tormentisque colicis fuisse vexatam, accidentibus cum vomitu tum quoque alvo constipatâ. Tribus hebdomadibus ante dixit febris paroxismos se percepisse per quatuor dies alterâ vice frigore, calore

et sudore alterâ. Propinato hisce diebus rheo, alvus deponitur nigra, pulti simillima, mollis.

Ab eo inde tempore quo febris inceperat, querebatur de summo dolore in latere quo magis vexaretur quam antea. Nocte inter XII et XIII Nov. subito sanguinem evomuit parcâ tamen quantitate, id quod equidem non repetitur.

Quum nosocomium adiit, praesertim querebatur de doloribus in abdomine et regione ventriculi et quodam in pharynge sensu quasi quae arderet, tum quoque de acidarum materierum emesi et sparso per latus thoracisque ambitum dolore.

Vehementes abdominis musculorum contractiones, quae vomitum alunt, contractae rimae glottidis sonitus et lamentatio, quibuscum hi conatus sunt juncti, maximum accusant doloris stimulum. Notatus autem dolor in regione ventriculi, nullo qui cessat intervallo, profundiori pressione augetur, et mox oriuntur conatus ad vomitum. Tumorem aut indurationem frustra quaerimus in regione ventriculi, et solummodo fortiores observantur palpitationes in Aortâ abdominali, in regione ventriculi



partim, partim quoque inferius. Molle se praebet abdomen; sub hypochondrio lien non prominet sinistro. Margo hepatis vix ac ne vix quidem sub hypochondriis percipitur. Alvus tarda, lingua pallida, mucosa linguae paullisper tumens ita ut marginibus dentium imagines quasi insculptae sint, tenuique obsessa secretionem subalbicante. Ejecta per oesophagum nihil praebent observatione dignum. Fortiores sunt palpitationes cordis, neque tamen percussio neque auscultatio thoracis habent, quae hic sint, memoranda.

Ex dolore in regione ventriculi, emesi et alvo tardâ comitato, et ex emaciatione facieque collapsâ, diagnosis carcinomatis vel ulceris perforantis ventriculi instituitur.

Per omne tempus quod infelix mulier in nosocomio degebat, scilicet ad noctem XXVI inter et XXVII Nov. pauca occurrebant vel potius nulla, quae casum ingravescerent, nulla quoque prorsus contigebant quibus ad meliorem perduceretur statum.

Cibum sumit permodicum, quod idem valet de potu, quippe non sitiabat; adde quod semper postquam

quid sumpserat dolores non multo post augebantur. Saepius quoque post sumptum cibum aut potum emesis sequebatur iisdem comitata symptomatibus quae supra notavimus. Confidendum tamen est, haec pariter ac nauseam vehementiâ sensim augeri in temporis progressu. Per primos sex dies praescribuntur pulveres cum Extr. Cricutae gr ii pro dosi, qui morbi vim potius augere quam diminuere videbantur. Praescriptâ dienceps solutione subc. sodae quam sumpsit ad XXIII Nov. usque, hoc medicamentum se praestitit maxime laudabile laetiores ob effectus. A dicto inde die pulveribus ex Etr. Nucis vomicae alcohol. (gr.  $\frac{1}{4}$  pro dosi) sumus usi. In universum tum mulier in mitiori versabatur conditione, dolorum enim vis infringebatur et pariter emesis non ita ut ante crebra fiebat.

Nocte inter XXVI et XXVII Nov. aegrotam initio sitis vexabat intolerabilis quare insatiabili appetitu miram deglutiebat liquoris copiam, infelici autem successu! Nam brevi post anxietate pressa est summâ, quacum nausea et diarrhoea ingratissimae eunt comites. Cum anxîâ lamentatione nauseae vomitusque morem gerere

tentabat, et quidem satis prospero successu; etenim omnem potionis copiam sensim rursus evomuit, quo peracto una duaeve horae sequebantur per quas infelix Maria lectulo se potuit recipere ac dulci tranquilloque fructa est somno.

Sed horâ quintâ sub Auroram rerum conditio prorsus et subito mutata est. Post vomitum frequens iteratum magna sanguinis paucitas ejicitur. Sudor viscidus, frigidus, facies collapsa, mutata, hipocratica, rigor universalis, respiratio paullisper stertorosa, pulsus vix ac ne vix quidem tangendus: tot sunt proximae symptomata mortis et horâ sub Auroram sextâ moribunda occumbit.

*Sectio cadaveris horis LII post mortem.*

Cadaver valde emaciatum; pulmones cor fere prorsus velant; in thorace sinistro adhaesiones veterum pseudo-membranarum in apice pulmonis inveniuntur inter utrasque pleurae laminas; in utrâque thoracis parte sanguinolenti limpidi seri sex fere unciae observantur;



pulmones laxi collapsique; huc et illuc marginum emphysema occurrit; pulmonis dextri superficies in apice scabrosa, coarctata, cujus causa vetus accusatur cicatrix. Permagna anaemia pulmonum, ita ut incisionibus cum majoribus e vasis, tum e capillaribus sanguinis fere ne gutta quidem evadat; pulmonis sinistri coeruleo-grisei, marmorati oedema notatur, lobi pulmonis dextri superioris ac medii emphysema invenitur, nec tamen oedema, excepto lobo inferiori.

Pericardium tenue parvam limpidi seri copiam continet; cor laxum, anaemicum, tenuibus constructum parietibus; valvulae nullo modo a conditione normali deflexae. In arcu Aortae (praesertim prope valvulas semilunares) inveniuntur parvae, tenues ossificationes, parum extensae, aequae ac ubicunque quo loco majora ex arteriâ Aortâ oriuntur vasa. Mucosa laryngis, tracheae, bronchorum, pallida.

Sub hypochondriis hepar sescuncialis tantummodo observatur; ventriculus valde expansus, parietes laxi; abdominis sub hypochondriis latitudo a ventriculo prorsus est repleta, et ipse in parte sinistrâ sub tho-

racis cartilaginibus prominet, et hoc loco spiram vel sinum ostendit, ita ut parietes, involutâ sive invaginâtâ parte minore, ipsi quoque invaginantur et quasi tumentes videantur, quod tamen non impedit quominus facile a se invicem segregari possint.

In minori ventriculi curvaturâ, eo quippe loco ubi ventriculo appositum est Pancreas, magnum observatur ulcus quo parietes ventriculi prorsus sunt perforati. Formâ prorsus rotundum, limbis haud densatis, acuminatis, quasi excissis circumdatum sescunciale dictum illud ulcus conspicitur; fundum praebet Pancreas, quod ventriculo fortiter circum hunc adhaeret locum, quo parietes ventriculi perforavit ulcus, ita ut Pancreatis ope locus perforatus prorsus sit disclusus, quo fit ut ventriculi parietes et Pancreatis superficies (h. e. ulceris perforantis fundus) prorsus coaluerint.

Medium locum vas (arteria Pancreatica) occupat, quod secundum Pancreas se protendit et mensuram exhibet trium linearum Paris., in quo vulnus duarum talium linearum observatur quod plane eundem sequitur cursum ac ipsum illud vas. Quodsi tendimus ad supe-



riorem partem, illud vas extra locum morbosae adhaesionis prosequi possumus, plane conspicuum et nullis partibus aliis velatum. Tende contra ad partem inferiorem, vas videbis se in Pancreatis substantiam abscondere.

Ventriculus partim quoque cum hepate concretus est et quidem per superficiem sescuncialem. Ventriculo remoto, dicta haec pars omnis avellitur ita ut hinc in pariete foramen oriatur, circuli prorsus exhibens formam. Sunt ventriculi parietes valde fragiles, tenues, imbibitique rubro colore. Color iste ruber in cardiâ arcis circumscriptus est limitibus, sed in piloro contra transit in duodenum.

Sanguinis nigri partim coagulati ventriculus XXX continet uncias.

Pancreas durum est ad cartilaginis instar, flavo coloris et grisei pro parte.

Meteorismo intestina modice sunt expansa; mucosa intestinalis pallida, illâ exceptâ duodeni parte quae proxime pilorum est sita. Parietes intestinorum tenues.

Hepar subalbicans, firmæ consistentiæ, mensurâ

nullo modo a normâ recedens; vesica fellea calculis prorsus repleta.

Lien mensurâ normalis, firmus, rubro colore tinctus.

Vesica urinaria contracta; ovaria parva et laxa; uterus firmus et pallidus.

Mesenterium adipis admodum magnam continet copiam; variae et singulae glandulae magnae, tumentes.

Ren sinister parvus, anaemicus; tubuli fere ubique compressi a fixâ, paullisper flavâ et parum granulâtâ substantiâ corticali. Dexter sinistro major, caeteroquin eandem subiit degenerationem; capsula ab utrisque renibus non facile separari potest; pelvis renum minime hyperaemica. Quod ad formam renes normalem praebent adspectum.

---

E. d. V., vidua, annos nata LII, capillis flava cum cute siccâ et aridâ, emaciata, dum omnia sunt symptomata, qui multa passa sit haec mulier, die XXXI Oct. MDCCCL recipitur in Nosocomium hujus urbis.

Narrat se semper nonnisi debili sanitate fuisse

fructam, semperque variis temporis intervallis varios morbosos affectus passam. Praesertim conquerebatur de rheumaticis, ut dicit, doloribus iisque topico nuptis dolori per columnam vertebralem, praesertim quidem in vertebribus lumbalibus, qui affectus dolorifici ei jam diu varia attulerant tormenta. Quatuor ante menses orta erat diarrhoea et alvus liquidissima et ab eo inde tempore dolore se sentiebat affectam in regione ventriculi, qui post cesserat numquam. Huic dolori vulgo comites ibant nausea et vomitus quacum acidae et perfuscae ejiciebantur materiae. Duo anni erant praeterlapsi quod menstruationes non redierant. Erat tenuis alvus, subnigricans; urina limpida, fusca, nonnisi parca et paucâ quantitate secernitur. Saepe meteorismi causâ intumescunt intestina. Ad duorum digitorum latitudinem hepar se sub hypochondriis protendit; musculorum autem tensionis causâ sola percussio id accuratius potest definire. Physconia lienis non adest. Supra umbilicum laxa cutis extensio observatur eaque obliqua, X centimetra longa, sub quo loco divagatio quaedam lineae albae apparet digitum minimum lata, qui



saccus interdum valde extensus est tumensque (hernia umbilicalis); quod si locum obtinet, tum laesae functiones abdominis quam maxime noxias vires capiunt novas. Examen physicum laeses functiones in circulationis et respirationis organis ostendit nullas.

Dolor in regione ventriculi perceptus, qui jam per quatuor menses compunxerat et tamquam symptoma pathologicum primum occupat locum, cum laesis intestinorum functionibus crebroque vomitu cohaerens et emaciationi collapsisque viribus nuptus, in suspicionem inducit degenerationis mucosae parietumque ventriculi (scirrhi vel carcinomatis) vel ulceris perforantis ventriculi.

Per omne fere temporis spatium quod in nosocomio degit, semper querebatur de dolore in regione ventriculi, concomitantibus nausæ et emesi laesisque abdominis functionibus. Narcoticis in universum medicamentis dolores augeri videbantur, et pro alterâ vice solummodo emulsio amygdalarum et solutio alcalina (subcarb. sodae) alterâ a doloris interdum impatiente muliere laudantur et iterandae rogantur.

Hernia umbilicalis tenui ac miti facile retinetur pressione.

Conditio fere eadem manet. Interdum per aliquot dies ab aegra laudatur, quippe quae dulci fruatur quiete doloribus haud interruptâ; cibum potumque modicum sumit et nec vel nausea oritur nec laesae observantur intestinorum functiones. Brevi post autem omnia in malam mutantur partem. Iterum oriuntur, augentur ad summum usque gradum dolores, concomitantibus sine ullâ fere intermissione nausêâ, emesi, laesisque abdominis functionibus. Nunc per aliquot dies conditio est miserrima; emaciatio continenter augetur; dolores acutissimi, respiratio pulsusque frequens, hic insuper parvus vix ac ne vix quidem tangendus, et post exacerbationis periodum cadaveris instar jacit infelix aegrota morti proxima, facie quam maxime collapsâ et mutatâ, immobilis fere, frigida per omne ac totum corpus, mortis imago fidelissima. Notandum est quod hoc in casu haematemesis numquam locum habuerit.

Saepius mortem jam expectaveramus sed frustra, et pro majori exacerbatione contra major sequitur



periodus qua requante dolores cessant et iterum mitiori conditione mulier aegra fruitur. Iterum cibum potumque sumit atque emulsionis alcalinaeque solutionis ope suâ sorte fere contenta evadit.

Praeterlapsis tali modo quatuor et quod excurrit mensibus scilicet die IX Martis, omnia morbi symptomata exacerbantur; emesis sine ullâ intermissione; alvus liquidissima, respiratio difficillima, pulsus fere haud tangendus, sensim sensimque sanguinis circulationis intermissiones observantur, frigor universalis, facies prorsus collapsa et mutata. Die XI Martis horâ sub noctem X vel XI cessant emesis et diarrhoea; mulier moribunda, immobilis silensque jacet, vel maximam potionis paucitatem non sumit; respiratio fere nulla; totum corpus sudore viscido frigido obsessum, et horâ quartâ sub Auroram obiit.

*Sectio cadaveris horis XXX post mortem.*

Cadaver quam maxime emaciatum; thorace aperto in variis pulmonum partibus veteres adhaesiones agnoscuntur; utrorumque pulmonum oedema, dextri insuper emphysema; pulmones prorsus anaemici. Cor partim a pulmone sinistro velatum, exsanguis; in corde sinistro parvum coagulum fibrinosum, totum cor mensurâ parvum; valvulae nullo modo vitiatae.

Hepar exsanguis, pallidus, mensurâ normalis, paulisper granulosis. Lien mensurâ parvus, mollis. Renes parvi, praesertim sinister, utriusque pallidi, Brightii degenerationis ne vestigia quidem ostendunt. Intestina meteorismo valde expansa; uterus durus, parvus, pallidus; ovaria parva, vesica urinaria contracta.

Mucosa tracheae et bronchorum quam maxime pallida, intestinalis huc et illuc sanguine injecta tumensque.

Ventriculi ambitus permagnus, valde ipse expansus; mucosa huc et illuc sanguine injecta; sanguinis fluidi sive coagulati ne vestigium quidem ventriculus continet. In parte inferiore pilorum proximâ observatur

magna et extensa intumescencia quae ad circuli instar partem piloricam circumdat. Superficies valde inaequalis flavique coloris; tela hujus intumescenciae dura palpatur et cellulis fibrosis (*vezelcellen*) constat. Sub illo tumente circulo, ubi pars pilorica transit in duodenum, paries ventriculi posterior perforatus est, et hoc loco conspicitur foramen formâ fere prorsus rotundum, cujus diameter duorum centim. existimatur, marginibus acuminatis durisque circumscriptum. Ulcus in portione ventriculi piloricâ situm est, prope valvulam pilori. Ipsi illi margines tumente circulo rursus circumdantur, qui circulus telâ conjunctivâ huc et illuc valde contractâ constare videtur et se in duodenum protendit. Eo loco quo ventriculus ulcere rotundo est perforatus, Pancreas quoque praebet fundum fortiterque ventriculo adhaeret, et ita impedit quominus ventriculi contenta in abdominis cavitatem ejici potuerint.

## PARS ALTERA.

Ulcus perforans Ventriculi (Rokitansky) sive ulcus Ventriculi simplex chronicum (Cruveilhier) morbi formam sui generis praebet, et, ut infra videbimus, pro variis atque variis causis, ex quibus illa ulcera perforantia ventriculi pendere posse videntur, tamen sub hac dictâ unâ eâdemque formâ conspiciuntur, ita ut quisque facile crederet, illud ulcus non solum esse morbi formam sed revera morbum quemdam prorsus sui generis. Dicto enim ulcere cum ulceribus syphiliticis comparato, miramur, quod ad formam peculiarem constantem, unum cum altero magnopere convenire. Ulcera syphilitica cancrosa quis est qui non statim diagnoscat, et sicut et forma sic quoque causa semper est una eademque. Ulcera syphilitica cancrosa ex solâ syphili pendent omnibus aliis intoxicationibus prorsus exclusis. Quoad formam omnia ista, ut jam vidimus, de ulcere perforante ventriculi quoque valent, unde



maximi oritur ponderis quaestio, an pathogenesis unius alteriusque quoque similis sit atque conjuncta, nempe an ulcus perforans ventriculi quoque pendeat ex unâ et eâdem semper causâ. Postea facta respondebunt!

Ab omni tempore Scriptores nonnisi obiter et haud perspicue ulcus perforans ventriculi tangunt, quippe qui de perforatione ventriculi suâ sponte ortâ dixerint. Mirum attamen, quoniam illa morbi forma non tam raro occurrit. Per octo mensium spatium in clinico Clarissimi VAN GEUNS duos ejusmodi casus observavi. Idem valet de alterâ Nosocomii parte, quae sub auspiciis medicis Clar. SURINGAR versatur, in cujus historiis et annotationibus clinicis exempla ulceris perforantis ventriculi non frustra quaeruntur. Si spectas Nosocomium nostrum suburbanum aliaque aliis locis, interdum ulceris perforantis ventriculi mentionem vides esse factam. Quis est qui nesciat, in annotationibus anatomiae Pragensis statisticis 2330 cadaverum sectiones enumerari, in quibus 57 ulcera ventricula rotunda observantur, dum 56 cadavera



dictorum ulcerum perspicua vestigia vel cicatrices ostendebant, h. e. igitur semel in 20 vel 21 cadaveribus! Dr. RAPP bambergensis (1) narrat, in dictâ urbe 21 ulceris perforantis ventriculi casus observatos esse in 10—14 annorum intervallo. Et cur porro hac de re verba facerem? Ista morbi formam non tam raro observari novimus omnes!

Attamen medici Scriptores ad CRUVEILHIER usque, ut diximus, obiter tantum et haud perspicue de ulcere perforante ventriculi dixêre. Ille tamen acuratissime de ulcere ventriculi simplici chronico agit, et queritur historiam morbi tam obscuram esse, confusam, indefinitam. Confusa ab omni tempore sunt dicta ulcera cum gastritide chronicâ et praesertim cum scirrho sive carcinomate ventriculi. CRUVEILHIER tamen speciatim de dictis ulceribus agit, quae nomine laudato vocat et jure, quoniam ista ulcera non semper sequitur perforatio (ob perforationem ROKITANSKY denominatione ulceris perforantis ventriculi usus est. Denominatio incriminatur, quoniam hanc si teneamus ulcera perfo-

(1) *Deutsche Klinik*, N<sup>o</sup>. 2, 24 Nov. 1849.

rantia interdum occurrunt quae non perforant. Recte quidem, sed hic saltem nullum de verbis certamen). Describit ulcus simplex chronicum, ac deinde ostendit, anatomiam pathologicam nos docere ista ulcera ab omni carcinomatosâ ulceratione, quâcum fere semper confundebantur, distinguere. Sic quoque pathologicae anatomiae ope docet, virus syphiliticum istorum ulcerum causam non posse accusari, syphili enim non agente in telam mucosam profunde sitam. Porro agit de haematemesi nigrâ, isto symptomate peculiari acque carcinomatis ac ulceris perforantis ventriculi, eamque mechanicâ viâ facile explicat, ex quâ explicatione insuper sequitur, haemorrhagiam et haematemesin magis in isto ulcere observari, quoniam pro suâ ipsius sententiâ vasorum tela variis laesionibus organicis et vel carcinomati resistere potest, sed nullo modi isti ulcerationi. Dicit quoque de perforatione, quae fere semper ulceri ventriculi chronico simplici tribui debet. Distinguit tamen inter ulcera ventriculi simplicia chronica et acuta, ex quibus duabus speciebus perforatio ventriculi spontanea pendeat. Quod ad cicatrices

docet auctor laudatus hîc eadem obtinere ac in ulceribus, quae in aliis corporis partibus observantur. Sanae partes proximae circum ulcus attrahuntur, ita ut sensim sensimque ulceris diameter diminuatur. Ulceris superficies deinde obsidetur telâ fibrosâ; margines fiunt duri, densati et tumescuntiam quamdam formâ rotundam producunt. Sanata ulcera numquam telâ mucosâ obteguntur, sed semper istorum cicatrices telâ fibrosâ formantur, quare fit ut fere numquam ulcus bis eodem in loco occurrat.

ROKITANSKY eodem fere tempore de ulcere ventriculi perforante dicit, et hâc in re ut in omnibus aliis anatomiae pathologicae quam maxime profuit, ut infra videbimus, quum illius ulceris anatomia pathologica paucis tangetur.

Post duos laudatos Viros praeclaros alii quoque de ulcere perforante ventriculi dixere, sed pauca tantummodo addiderunt, quae hîc facile praetermitti possunt. Notanda tamen quae praestiterunt ALBERS, (1)

---

(1) *Beobachtungen*, III, 1.



MOHR, (1) JAKSCH, (2) CRISP, (3) VALLEIX, (4) OSBORNE, (5).

Paucis jam tangimus anatomiam pathologicam. Fere semper unum tantummodo ulcus perforans ventriculi adest, rarissime duo aut plura, et locum praesertim occupat in parte pyloricâ, pariete posteriori et curvaturâ minori; interdum in aliis quoque locis ventriculi occurrit, et in superiori quoque Duodeni parte. Formâ est rotundum, interdum tamen (auctore ROKITANSKY) jam ab initio irregulare; forma ab origine rotunda deinceps variis causis mutatur et frustra nonnumquam quaeritur, praesertim in dictis ulceribus majoribus. Loquitur insuper Auctor de ulcere quod sequitur dimensionem ventriculi transversam et hinc zonae formam refert. Rotunda evanescit quoque forma, quum duo ulcera hujus generis sensim sensimque ad unum conjunguntur.

---

(1) *Caspers Wochenschrift*, 1842, 256 et 289.

(2) *Prager Vierteljahrschrift*, III, 1.

(3) *Lancet*, 1843.

(4) *Guide*, V, 157.

(5) *Dubl. Journ.* XXVII, 357.



Quomodo ab origine se habeat ulcus non patet. ROKITANSKY putat, ulcus incipere ab erosione haemorrhagicâ (acutâ, circumscriptâ, rubrâ emollitiæ sive malaciâ), aut a circumscriptâ gangraenâ mucosae eâque crustis obsessâ.

Speciali modo ulcus perforans ventriculi, praesertim formâ rotundum, se extendit in partes profundas. Materiei organicae dispendium maxime occurrit in mucosâ, multo minus in telâ musculosâ, ita ut infundibili instar conspicitur ulcus simplex ventriculi, quod ejus parietes perforaverit. Peritoneum si quoque perforatur, id semper a centro ulceris rotundi incipit.

Morbus sive acute sive chronice decurrit; interdum quoque decursus periodicus observatur, ita fere ut in secundo a nobis narrato casu, in quo nempe remissionis et exacerbationis periodi notantur. In quovis stadio ulcus sanari potest equidem vel post perforationem, adhaerentibus nempe aliis fortiter partibus, ita ut cicatrix nasci possit.

CRUVEILHIER, ut jam monuimus, et ROKITANSKY agunt de haemorrhagiâ et haematemesi, quae semper

fere ulcus ventriculi simplex concomitant. Observatione dignum videtur, in secundo a nobis observato casu ne vestigium quidem horum symptomatum adfuisse, neque ventriculum post mortem sanguine aut sanguinis coagulo repletum esse inventum.

Difformitates ventriculi a sanatis ulceribus perforantibus ortae sponte intelliguntur.

Quod ad pathogenesin pauca habeo animadvertenda. Omnes qui ulcera ventriculi simplicia vel perforantia observarunt Scriptores medici illa saepius in sexu sequiori quam in viris occurrere monent, et hâc de re absque discrimine omnes consentiunt. Ante pubertatem ulcus perforans ventriculi rarissime occurrit; sed inde ab anno aetatis vicesimo observantur ad 70 usque. Iis obnoxia est quaeque constitutio imprimis tamen debilis. Concomitantes in cadaverum sectionibus praesertim notantur morbus Brigthii, emphysema pulmonum, carcinoma idque praecipue ventriculi, vitia cordis et, si JAKSCH audimus, quam saepissime tubercula pulmonum. JAKSCH insuper puerperium accusat dispositionem ad ulcus perforans ventriculi afferre. ROKITANSKY

monet, dictum illud ulcus saepius post febrem intermittentem esse ortum. Febres intermittentes tamen saepissime occurrunt, et hanc ob causam facile quoque ulcera ventriculi perforantia comitari possunt, absque omni uno inter et alterum necessitudine absolutâ. Desideratur saltem adhuc longa observationum series, antequam in febribus intermittibus causam ulceris perforantis ventriculi interdum proximam agnoscamus. Et caeteroquin tot ac tanta exempla observarunt artis nostrae periti, in quibus ne vestigium febris intermittens occurrebat. Alii animi pathemata, haemorrhoides, amenorrhoeam et menostasiam, repulsa exanthemata, etc., accusant; alii aliter. RAPP Bambergae anaemiam sive dysnaemiam causam ulceris perforantis ventriculi fundamentalem esse putat, et quamquam aut ipse aut amici collegae ejusmodi casus observaverint in hominibus plethoricis, semper tamen cognati dixere, illos jam ante plures hebdomades quam maxime pallidos fuisse. SIEBERT perforationem ventriculi reflexum existimat gravioris et intensi affectus organorum centralium, et recte monet, fere omnes, qui huic



morbo succubuerint, conquestos esse de summo dolore in columna vertebrali, ita ut causam ulceris ventriculi perforantis proximam quaerat in morbo medullae spinalis, praesertim emollitiae. Illud symptoma ab aliis quoque premitur, sed multis cadaverum sectionibus minime probatur. OSBORNE (1) accusat irritatas ventriculi glandulas, quippe quae prorsus mutatam praebent secretionem, quâ circumdantes destruantur telae. Dolores summos in regione ventriculi explicat e contactu ventriculi contentorum (imprimis acidi) cum superficie ulcerationis. Eandem sententiam probare conatur ex variis observationibus, quod nempe in hoc morbo homines non in omni positione aequè gravibus patiantur doloribus. SCHILD fere cum eo facit, et glandularum hypertrophiam et unde sequentem ulcerationem accusat.

Ex hisce omnibus luce clarius patet, causam proximam ulceris perforantis ventriculi non esse cognitam, et sine dubio citatae omnes conditiones pathologicae hac tantummodo ratione ad dictum ulcus referri pos-

---

(1) Dublin. Journ. Julij, 1845. — Ib. 49, 1.



sunt, quod eas morbi ventriculi in universum comitantur. Quinam ventriculi affectus morbosus imprimis ulceri perforanti ansam dent, non constat, sed verisimile potissimum quique morbus follicularis mucosae. Procul dubio ergo ulcus perforans ventriculi non est morbus specificus sui generis, sed potius specialis ulcerationis forma, quae solummodo in ventriculo et superiore Duodeni parte obtinet ex causis prorsus ignotis ad hunc usque diem; ista deinceps ulceratio ab unâquâque causâ oriri potest. Et haec quidem respondent quaestioni supra jam propositae, scilicet num ulcus perforans ventriculi specialis et sui generis sit morbus, a causâ quâdam unâ eâdemque semper effectus.

Symptomata positiva, quorum ope ulcus perforans ventriculi dignosci posset, non dantur, ut jam CRUVELLIER docuit. Interdum morbi decursus nullo notatur symptomate, sive succumbant aegri sive sanentur, et non raro Medici in autopsiis ulcera ventriculi perforantia viderunt, quamquam aegri per totam vitam numquam dolores ventriculi accusaverint. Functiones

ventriculi interdum tam parum laesae sunt, symptomata tam confusa et indefinita observantur, ut de ulceris perforantis praesentiâ suspicio oriri nequeat.

Symptomata ergo, quum adsunt, ex certis causis specialibus pendeant necesse est; omnes has causas speciales non novimus, sed tamen quaedam enumerari possunt, quae sponte intelliguntur, ut exempli gratiâ maxima ventriculi sensibilitas, quae in variis hominibus observatur, acutus morbi decursus, locus quem ulcus obtinet, vulnus sive laesio vasorum sanguiferorum, etc., etc.

Ulcus perforans ventriculi a gastritide chronicâ et carcinomate non semper et certe dignosci posse jam supra vidimus, unde sponte sequitur quatenus potissimum symptomata in dicto ulcere observentur, nempe symptomata catarrhi chronici, emesis chronica pertinax sive spontanea sive post omnis generis ingesta. Porro dolores persistentes sponte sive pressione orti, qui revera ad ulceris perforantis diagnosin ducere possunt, quum carcinomatis nulla est ratio; nonnumquam illi dolores locum quem ulcus occupat ostendunt. Inter-

dum sitis ardens aegros cruciat idque eo magis quam dolores quâque potione continenter augentur. Hoc quidem obtinuit in primo a nobis memorato casu. Inter symptomata, quae in universum occurrunt, alvus quoque constipata enumerari debet, quamquam liquidissima aequae ac constipata observetur. De haemorrhagiâ e haematemesi supra jam sumus locuti.

Quod ad therapiam parum animadvertendum habeo. Ulcus perforans ventriculi nec specialis est morbus nec igitur specificis remediis sanatur. Pro variis causis proximis, quas varii statuerunt, varia commendant remedia, exempli causâ narcotica (morphium, acidum hydrocyanicum), zincum, magisterium bismuthi, calomel, acetatem plumbi, sulph. alum. et potass., aquam calcis, externe moxam, unguenta acria, etc. Omnia haec interdum laudabilem habent effectum, in aliis tamen casibus dolores augent et vitae periculum ingravescunt, et hac in re experimentum solum nos docere potest, quae nam sint propinanda medicamina, a quibusnam prorsus sit abstinendum. In casibus nostris dolores fere omnibus medicamentis augebantur, demulcentibus solutionibusque



alcalinis exceptis. Diaeta praecipue maximâ digna est observatione, et illius ope plura fortassis ulcera feliciter sanantur. Recte commendat CRUVEILHIER, ulcus ventriculi simplex non aliter esse curandum quam quodque in aliis organis ulcus occurrens, et ab omnibus aliis praesidiis therapeuticis abstinendum esse, nisi a curâ symptomaticâ sint indicata.

Hisce in universum praemissis, paucis adhuc redeamus ad casus nostros et ad hujus praepositum speciminis. Quaerat nempe aliquis, quâ de re verba fecerim de ulcere ventriculi perforante sive simplici, et meum esse credo, huic respondere quaestioni.

Primo jam supra vidimus, varia ac multa in speciali hâc morbi formâ esse obscura, confusa, et hanc ob rem procul dubio speramus omnes fore ut ubicunque Medici confusorum et prorsus ignotorum explanationi operam dare velint, et nobiscum communicent, quae de praeposito nostro eos docuerit experientia. Ergo meum quoque erat duos a me observatos casus cum aliis communicare, et igitur quae potui effeci. Officio ergo jam obedio, verba quum faciam de ulcere perforante ventriculi.



Secundo tamen memor eram eorum quae nobiscum communicavit doctissimus RAPP Bambergae. Ille enim per 14 fere annos casus 21 ulceris perforantis ventriculi laudato loco commemoravit a nostris prorsus diversis, ita ut hi illis opponi deberent, et in specimine meo nunc quoque opponuntur. In omnibus cum ab ipso Doct. RAPPIO tum ab amicis ejus collegis observatis perforationis ventriculi casibus, nulli observabantur prodromi, et acutissimum morbus semper habebat decursum. Sequantur hic sua ipsius verba:

„Wir zählen in Bamberg in ohngefähr 10—14  
 „Jahren 21 spontane Durchlöcherungen des Magens  
 „und einzelner Darmparthien. Die Vorläufer der  
 „Krankheit sind so unbemerkbar, dass die davon  
 „befallenen Patienten in der Regel heiter und mun-  
 „ter ihrem Geschäfte nachgehen, weder psychisch  
 „noch physisch auch nur die unbedeutendste Miss-  
 „stimmung empfinden, weder über einen Schmerz  
 „klagen noch über Appetitlosigkeit oder Verdauungs-  
 „störungen, weder Mattigkeit fühlen, noch gar Fie-  
 „bersymptome zeigen, sondern mit Einemmale fast

„wie vom Blitze getroffen empfinden sie die heftigsten Schmerzen im Unterleibe; es stellen sich alle Erscheinungen der Darmentzündung ein, von denen nur die des häufigen Erbrechens fehlen; alle gegen solche gebrauchten Mittel von der stärksten Antiphlogose bis zu den heftigsten Narcoticis bleiben fruchtlos, und können die fast unerträglichen Schmerzen nicht einmal lindern. Schon nach wenigen Stunden tritt Marmorkälte der Extremitäten ein, und in der Regel sterben die Patienten nach 12 oder höchstens 36 Stunden bei volstem Bewusstsein.“ (1)

Nunc varii commemorantur et depinguntur casus, qui omnes eundem decursum acutissimum habuerunt. Citatae autem a nobis historiae chronicum morbi decursum accusant, et hisce duabus plures aliae jungi possent, in utroque Nosocomio Amstelodamensi observatae, decursum prorsus chronicum depingentes.

Undenam hoc discrimen? Ulcera ventriculi perfo-

(1) *Deutsche Klinik*, N<sup>o</sup>. 2, 14 Nov. 1849.

rantia promiscue nunc acutum nunc chronicum decursum habere pendeat ex variis conditionibus necesse est, quas partim fortasse cognitae habemus partim tamen prorsus ignoramus. Sed unde fit, quod Bambergae observati sunt dictorum ulcerum casus omnes acuti nullo prorsus excluso? Quaestionem ipse mihi proposui; tot et tantas observationes apud varios atque varios indagavi Scriptores, sed nusquam commemoratos inveni casus sive chronici sive acuti solummodo decursus. Neque topographia medica quaestionem solvere potuit, ita ut lubenter confiteor, me quam longissime ab hujus phaenomeni explicatione abesse. Spero fore ut in me hâc in re transferantur Veterum verba: *ubi desunt vires tamen est laudanda voluntas*. Res attamen indagazione digna censi debet ab omnibus quibus medica scientia curae cordique est, et o me felicem, si forte hoc meo specimine alii, me longe peritiores, stimulati erunt ad quaestionem indagandam atque solvendam!

Et quicquid toto specimine historici morbi mihi voluerim paucis jam exponantur verbis:



Ulcus perforans sive simplex ventriculi non est morbus specialis, sui generis, sed solummodo forma quaedam, quae una eademque constanter semper occurrit.

Causas ultimas, cur illa forma semper in ulcere perforante ventriculi occurrat, anatomia pathologica adhuc non docuit.

Ulcus perforans ventriculi ab aliis hujus organi morbis, et imprimis gastritide chronicâ et scirrho seu carcinomate non semper ac certe distingui et dignosci potest.


Pendere potest ex multis iisque variis conditionibus ac causis.

Decursum habet ulcus ventriculi perforans plerumque chronicum sed non raro acutum quoque.

Omnia quae ad sanationem expectari possunt expectanda magis sunt a quiete et praeceptis diaeteticis quam a praesidiis therapeuticis quae dicuntur.



T H E S E S.



I.

Recte WUNDERLICH (*Handb. der Path. und Ther.*  
III band, 3e et 4e Abth., pag. 1043.):

„Das perforirende Magengeschwür erscheint dem-  
„nach weniger als ein specifisches Krankheitsprocess,  
„denn vielmehr als eine dem Magen aus vorläufig  
„unbekannten Gründen eigenthümliche Ausbreitungs-  
„form der Verschwärung, mag letztere entstanden  
„sein auf welchem Wege und durch welche Ursache  
„sie wolle.“

II.

In albuminuriâ minus valet quot albuminis quam  
quâ de causâ id excernatur.

III.

Dilatatores urethrae, qui vocantur, parvi in uni-  
versum habendi sunt pretii.

IV.

Phlebotomia in solidioribus therapiae praesidiis collocari debet.

V.

Praeclare LOTZE (*Alg. path. en therap. pag. 9*):

„Wat in het levend ligchaam plaats heeft, onderscheidt zich van hetgeen in het onbewerktuigde rijk geschiedt, niet door een verschil in de beginselen, hetwelk in den aard en de wijze van werking der krachten zoude bestaan, maar wel door de rangschikking van de punten van aangrijping, welke zich aan die krachten aanbieden, en waarvan, hier zoowel als overal elders in de natuur, de vorm der eindgevolgen afhankelijk is.”

VI.

In amenorrhoeâ et menostasiâ salutare effectus imprimis praestat haemospasia.

VII.

Usus Subsulph. Hydr. (Turpethi mineralis) externus in Psoriasi a nostratibus non satis laudatur.

---

VIII.

In cute subito refrigeratâ congestio non immediate obtinet sed reactione.

IX.

Trichloridi Formyli usus sensim sensimque in abusum errat.

X.

In fracturis ossium, cum parvâ quippe aut nullâ calli secretionem, laudabiles effectus interdum habet usus internus Phosp. Calcis.

XI.

Veri nominis Medicus auscultationi et percussioni quam diligentissime studeat necesse est.

XII.

Pathologia et therapia non ita inter se sunt junctae ut valeant verba: qui bene dignoscit bene curat.